

Et hic tamen ad extremum ita suum exhaust censum, ut subditos suos gravissimis premere exactionibus cogeretur. Id testantur ipsi subditi, III. Regum XII. *Pater tuus durissimum jugum imposuit nobis.* Viderunt enim quod delirus senex omnes suas opes expenderet in feminas, quarum DCC habuit reginas, CCC concubinas, ut insatiabili earum appetitui et luxui satisfaceret. Quantum pauperum sanguinem putatis meretrices istas circumtulisse, in alis, pennis et vestimentis suis?

IV. Non excedat statum et dignitatem cujusque; discrimen enim vestium inter nobiles habendum indicat Dominus in hodierno Evangelio, cum, ait: *Qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.* Nec reprehendit talem in aulicis vestitum; quem tamen alibi taxat in divite Epulone, quod indueretur purpura et bysso, Luc. XVI. id quod regum tantum et principum est. Dives autem ille homo privatus fuit, neque enim nobilis appellatur. Utinam vestes molles, purpura et byssus intra septa domorum regum ac principum manerent! At hoc perverso tempore fere nullum discrimen observet, et quisquis pro facultate et libidine se vestit, prout vult. Audiant isti S. Greg. super Evang. hom. IV. «Sunt, inquit, nonnulli, qui cultum subtilium pretiosarumque vestium non putant esse peccatum. Quod si videlicet culpa non esset, nequaquam sermo Dei tam vigilanter exprimeret, quod dives qui torquebatur apud inferos, bysso et purpura indutus;» supra statum scilicet suum. Si enim rex aut princeps fuisset, succensendum ei non fuisset. Unde ab imp. Valentino, Gratiano, Theodosio, aurata et sericæ vestes olim aulæ imp. officialibus non aliis concessæ fuerunt. Theodosius, vetuit purpuram, ut soli principi debitam, et serica omnia, in C. cap. XI. tit. VIII. Rursum multæ leges circa singulorum statum vestitus latae a Maximiliano I. Augusto, anno 1500. et sub Carolo V. anno 1530. Sed malum nullis contineri finibus luxus diu potuit, quamobrem necesse fuit, ut divino tandem flagello Germania pleteretur. Nimum utique et supra statum fuit, quod Lollia nobilis Romana in communibus festis gestaret habitum, qui millionem integrum constabat, teste Plin. l. IX. c. XXXV. Nimirum quod filia unius consulis in civitate quadam imperiali crepidas gestaret, quæ constabant 600 florenos, apud Drexel. in spec. virt. mon. XIX. Quid vero de talibus S. Chrysost. Miratur horum insaniam in serm. habito in calendis tom. V. «Sed ad imos, inquit, usque calceos demittere hunc morem licet. Eousque enim mollitiei luxusque delapsi sunt homines, ut et calceos exornent, et ex omni parte, æque ac faciem suam alii compouunt, variare soleant:

quod animæ impuræ ac depravatæ signum est.»

V. Non sit contra honestatem et modestiam. Ita præcipiunt principes Apostolorum. I. S. Petrus epist. I. c. III. *Quarum non sit intrinsecus capillatura* (i. e. implicatio capillorum) *aut circumdatio auri, etc.* Deinde S. Paulus I. Tim. II. *Mulieres in habitu ornato*, Græcus habet, mundo seu honesto: Vatablus modesto: Syrus casto *cum verecundia et sobrietate ornantes se.* Dicuntur etiam Isa. III. auferenda a Deo mulierum linteamina (Septuaginta Laconica pellucida, id est, tunicæ Laconum pellucidæ, per quas femora earum apparebant) et sindones. Hujusmodi enim vestitus non nisi meretricum est. Laudat Clemens Alexand. l. II. pædag. cap. X. civitatem Lacedæmoniorum, quæ solis meretricibus floridas vestes et aureum mundum gestare permisit: ut sic a probis mulieribus ornatus studium auferretur. Sic etiam meretrix magna demonstratur in Apoc. XVII. *Circumdatus purpura et coccino, et inauratus auro, et lapide pretioso, et margaritis.* Refert Æneas Silv. l. II. comment. in Panormit. hanc historiolum: «Leonora Augustam e Pisis jubente Friderico Cæsare Senas deducebamus ante diem cinerum, cum solent insanire populi. Offendimus apud S. Miniatum Teutonicum, in agro Florentino choream agrestium puellarum, quæ sæpe saltantes nudarent genua, cruraque ostentarent. Quod cum animadvertisset imperatrix: Eamus, inquit, meretricum hic ludus est, non virginum.» Quid aliud dicamus, quando tam levicule vestitæ comparent mulieres? Et putatis, quod si quis de talibus tam inhoneste vestitis diceret: Hæ non sunt virgines, sed meretrices, illis faceret injuriam? Ad extremum audiamus, quod scribat B. P. Damianus l. V. epist. ep. ad Landulphum clericum: «Clericus quidam, inquit, Zenzolinus nomine, pellicem suam juxta meum habebat hospitium, ut aiunt, aspectu lubricam, et inhoneste satis decore venustam. Hic itaque nitidulus, et semper ornatus, atque conspicuus incedebat, ita ut caput ejus nunquam nisi gebrillina pellis obtegeret, indumenta carbasina, atque niventia siligio per artem fullonis inficeret, calceus postrema ad aquilini rostri speciem non falleret. Erat illi præterea vox gentilis, suavis ac tinnula, adeo ut in Ecclesia modulans audientium corda mulceret, et adstantium in se plebis ora converteret: quotidie cachinnis invicem, atque ludibriis, oculorum nutibus, et scurrilitatis illecebris festivis applaudebant. Hic ergo furis ac perditis moribus, quia corpore contiguus aderam; mente longinquus esse non poteram. Quid dicam? Quia dum hæc cernerem titillantis luxuriæ molestias pertuli, cum etiam postquam ad eremum veni, ejusdem lenocinii memoria me sæpius colaphizare non destitit

sæpe fateor, mihi malignis hostis hoc schema proposuit, et illos esse felices ac beatissimos, qui tam jucunde viverent, persuadere tentavit. Sed hujus beatitudinis initium diximus, consequenter etiam quo fine concluderint, attextamus. Nam dum per quinque fere annorum lustra in hac luxuriosa voluptate vixissent, ante annum, cum commune ipsius urbis flagraret incendium, in una domo reperti, uterque simul igne consumpti sunt. Sic, sic nimirum flamma libidinis ignem meruit combustionis, et quid dulcis vita contulerit amarus, pro dolor! exitus demonstravit.»

Examinet jam se unusquisque, an contra hæc decreta forsitan delinquat, et se emendet, ut sic non in domibus regum, sed in domo Regis celestis habitare mereatur.

### CONCIO V.

PAUPERES A SUA QUIQUE CIVITATE ALENDI.

I. Quia sunt membra civitatis. — II. Quia plerique in servitiis divitum fracti vel exhausti sunt. — III. Quia pauperes facti in gratiam divitum. — IV. Quia pauperum precibus firmantur civitates. — V. Alioquin coguntur extrema tentare.

#### THEMA.

*Pauperes evangelizantur.* Matth. XI.

Raro, auditores, affero grata vobis et optata nova, plerumque fero ingrata. Hodie bona nuntio, et quidem cum hodierno Evangelio, ubi legimus: *Pauperes evangelizantur.* Quid enim Evangelium, nisi bonum nuntium? Quodnam vero illud? Jura Cæsarea statuerunt, ut unaquæque civitas suos alat pauperes. Ita enim habetur in Carolinis, Caroli M. scilicet et successorum constitutionibus: *Suos pauperes, quæque civitas alito.* Gaudete ergo pauperes: nec in posterum solliciti de pane estote: vestra enim vos civitas alet. Verum quemadmodum Christi adventus recreavit quidem pauperes pastores, turbavit autem vicissim Herodem et Judæorum pontifices, quasi de solis suis deturbandi essent: ita vereor ego, ne dum hodie bona nuntiare volo pauperibus, mala et ingrata nuntiem divitibus, adeoque hos perturbem, dum illos exhilarare studeo. Timeo quidem hoc de avaris, sed bene spero de cæteris: qui si me audierint, forte simul omnes gaubebunt.

I. Alere igitur pauperes suos quæque civitas debet. Quia sunt membra civitatis, adeoque filii illius, tametsi miseri et forte inutiles. Nemo abscondit membrum affectum, nisi aliis membris obsit. Quis enim ideo resecat pedem aut brachium quia curvum est? Parentes non nisi barbari prorsus et inhumani, quales erant Pomeranæ matres in paganismo (ut habetur in vita S.

Othonis episcopi Bamberg. II. Julii.) et Japonenses (ut in vita S. Xaverii,) necare solent filios suos, quando alere nequeunt. Atqui deserere vel expellere pauperes suos, quid aliud est quam enecare? «Si non pavisti, occidisti,» ait S. Ambrosius. Dedecus est hero, si domestici ejus de fame conquerantur: et dedecus est civitati ac divitibus, si deseri se lamententur pauperes. Ita enim expresse docet S. Chrysost. in Ps. XCV. ubi laudans civium suorum beneficentiam, ait: «Depulistis a foro mendicitatis probrum, processit eleemosyna et extinxit dedecus: dedecus enim divitum est clamor pauperum.» Dedecus civitatis est, si plateæ lutosæ sint, hinc saltem unusquisque præ foribus suis lutum avertit, aut certe solidum e lapidibus sternit pavementum. Non minus est civitati dedecus clamor mendicorum præ foribus civitatum, undique panem exigentium. Quod huic malo remedium? Verrat unusquisque ante domum suam, celeri eleemosyna obstruat os clamantibus sic: «Processit eleemosyna, et extinxit dedecus.»

II. Quia plerique laboribus et servitiis divitum fracti vel exhausti et debilitati sunt, vel in iis consenuerunt: justum igitur est, ut ab illis sustententur ac sublevantur. Alexander Albanæ dux a Scotorum rege Jacobo III. in carcere detentus cum periculo capitis, ex lodice funem texuit, ut in eo se demitteret. Prius tamen experturus funis longitudinem ac robur puerum unum, quem secum habuit, per eum demisit. Is cum justo brevior esset, puer in scopulum decidit et crura fregit: humi igitur jacens monuit submissa voce ducem, ut funem prolongaret: prolongato fune, ibi dux se quoque demisit, puerum in humeros sustulit, utpote sui gratia fractum, ac per duo fere millia gestavit, donec in tutum evaderet. Ut in appendice chron. Scot. Quam multi in hac civitate in servitiis dominorum et opulentorum fracti aut enervati, jam suis insistere pedibus, suis se alere manibus nequeunt! Alii enim bello, alii incendio, ruina, morbis, senio, divitum oppressione, parentum orbitate, aliove tristi casu ad inopiam redacti sunt: alii in servitiis consenuerunt. Debent ergo illi sustentari ac gestari humeris ditiorum. Quid? Nonne dux quidam Silesiæ, si Ænea Silvio libro quarto Panorm. cap. VI. credimus, egregiam domum ædificari jussit canibus venaticis senio confectis, qui aliquando utiles venationi fuissent, a suis relictis heris; designatis ad eam rem annuis proventibus? Delirasse dicetis ducem illum. Non abnuo. At nonne major longe ratio hominum habenda quam canum? Et si multi canibus et equis bene de se meritis, aut catellis charis dant victum, etiam cum jam inutiles sunt, dum vivunt, quanto magis hoc debetur hominibus bene meritis; ne alioquin

ingratis exprobrent cum fabuloso cane illo venatico : *Juvenem amasti, senem odisti ?*

III. Quia pauperes et miseri, cæci, claudi, phrenetici, epileptici, muti, etc. Tales Dei providentia facti sunt in gratiam divitum, ut charitatem opemque impendendo miseris salutem acquirant. Hoc indicare voluit Sapiens, cum dixit Proverb. XXII : *Dives et pauper obviaverunt sibi : utriusque operator est Dominus.* Quid enim illa obviatio, nisi mutuam auxilium, quo se juvare debent : dives egenum pane, egenus divitem oratione ? Diviti ergo mittit Deus obvium pauperem velut bajulum, ut per eum in cælum gestetur. Audiamus sanctum Chrysostomum homilia XXXIV. in Gen. • Hac de causa reliquit illum inopia vexari (pauperem scilicet) ut et ipse patientia multum mercedis acquireret, et tu per eleemosynam tibi fiduciæ materiam illuc præmitteres. Itaque dum cogitas, quod propter te et propter tuam utilitatem ille cum inopia conflictans fame perit ; ne absque misericordia transeas, sed esto fidelis eorum, quæ tibi a Domino concessa sunt honorum dispensatore, ut adjutus illius penuria tibi supernam concilies gratiam. • Pulchrum hujus rei documentum dedit nobis Christus Joannis capite nono, quando cæcum natum sanavit. Cum enim dixisset : *Neque hic peccavit* (ut cæcus scilicet nasceretur) *nec parentes ejus : sed ut manifestentur opera Dei in illo,* hoc est, ut ego per ipsum manifestar et glorificer, tamquam Filius Dei missus a Patre ; ergo quia propter Christi gloriam et manifestationem miser ille lumine orbatus fuit, noluit Christus, ipsum pertransire ac negligere, sed ultro non rogatus, visum ei contulit. Videant jam divites ; propter ipsos iste cæcus, ille claudus, alius mutus, alius mancus factus, alius a Deo insanabili morbo percussus est ; ut per opem eis impensam et eleemosynam (quia vix alias salutis vias unquam ingrediuntur) parent sibi salutem. Quomodo igitur committere possunt, ut miseros illos pertrahant et non juvent ? Quomodo expectare clamores eorum audent ? Sane milites, qui pro patria nostra pugnantes graviter vulnerati sunt, quando sua vulnera nobis ostendunt, nonne jure meritissimo non solum eis condolendum, sed et damnum pro viribus resarciendum existimamus ? En omnes afflictii pauperes pro salute et bono divitum afflictiones suas ferunt ; videant ergo divites an ipsi obligati non sint. Zopyrus e septem militiæ Darii ducibus unus, ut domino suo urbem Babylonem viginti mensibus obsessam acquireret, flagellari se fecit, naso quoque et auribus ac labiis truncari ; sicque ad hostem pergens finxit se a Dario tam crudeliter habitum. Ergo ab hoste in ducem acceptus, civitatem Dario tradidit. Unde Darius eum centum Babylonibus prætulit, et

honorificentissima quæque munera ei in Persia dedit. Justin. lib. IV. Herodot. lib. IV. Quod ille sponte passus est pro Dario, hoc pauperes et miseri necessitate patiuntur propter divites (unus privatur oculis, alius auribus, alius lingua, alius pedibus) ut cælum eis acquirant. Sane ob hanc causam videtur Lazarus fuisse projectus (ut est in Gr.) ad fores Epulonis, ut suis ulceribus sanaret in Epulone ulcera animæ, et cælum ei pararet. Consentit ejus nomen Hebraicum, *Lazar*, hoc est, *ad adjuvandum*, dictus, quia ad adjuvandum Epulonem eo profectus erat, Dei providentia, ut esset animæ ejus medicus. Ideo coram eo sua ulcera explicavit, ad eaque delingenda canes advocavit, ut vel exemplo canum dives ad misericordiam flecteretur, sicque ad salutem præpararetur.

IV. Quia pauperum precibus maxime stant et firmantur civitates. Jebusæus arci Sion imposuerat cæcos et claudos, non ut defenderent civitatem, sed ut irriderent Davidem oppugnantem eam, quasi a natura ita munita esset, ut a cæcis et claudis defendi posset, II. Regum V. Sed cepit arcem David, quando cæci et claudi ei insultarunt, non orarunt. Defendent civitatem pauperes, cæci, claudi, sed si orent, non rideant et præsumant. Ita sanctus Chrysostomus homilia XXXIII. ad populum Antiochenum civibus sibi objicientibus, quod debeant dare tributa pro militia contra barbaros, proinde nequeant dare pauperibus, ita respondet : « Si milites mihi dicas, pro te barbaris repugnantes, sunt et hi castra pauperum et bellum, in quo pro te pauperes pugnant. Cum enim stipendium acceperint, orantes tibi Deum faciunt propitium : nisi hi in navi manserint, vos salvi fieri non potestis. Actorum XXVII. quia scilicet. « In navigii periculo, ait Beda, magis nautarum scientia qui erant gnari maris, quam militum arma prodesse valebant. » Quod nautæ sunt navi, hoc sunt pauperes civitati ; hi enim cum attentius et ferventius orare sciant, quam divites, plus efficient orando pro civitate, quam divites pugnando, vel etiam in milites tributa erogando. Scimus enim ex libro Exodi cap. XVII. plus effecisse Moysen orando, quam Josuen pugnando contra Amalecitas.

Ad hæc cum divitibus detur opulentia, ad hoc ut sustentent pauperes : sicut matri copia lactis, ut alat prolem ; Deus etiam divitibus suppeditabit frugum abundantiam, ut nutrire egenos possint. Quod si eos alere desinant, desinet etiam Deus opulentis suppeditare : sicque fugiet *frater Dabitur*, quia fugatus est *frater Dale*, juxta notam illam historiolum.

V. Quia alioquin cogent eos extrema tentare, corpus prostituere, mentiri, furari (quamquam si quis extrema necessitate coactus furetur necessaria, non erit proprie furtum, adeoque, nec peccatum, ut docet D. Thomas II. 2. quæst. LXVI. articulo VII.) et quandoque latrocinari, ad minus varios excogitare dolos, ut vulnera sibi infligere, morbos fingere quibus corda divitum emolliant, et aquam quasi ex petra eliciant. Hinc Sapiens Prov. XXX. mendicitatem deprecatur, ne compulsus necessitate furetur aut perjuret, proni enim sunt mendici ad mendacia et furta, quia venter auribus caret. Audiamus S. Chry. hom. XXXVII. ad popul. « Etsi simulat pauper tremorem et infirmitatem ex necessitate simulat et egestate, propter sævitiam et inhumanitatem tuam, quæ talibus personis supplicantibus ad misericordiam non flectitur ; quis enim tam miser et ærumnosus, ut nulla premente necessitate pro solo pane velit ita deturpari et plangere, talemque pœnam sustinere ? Igitur illius simulatio fertur inhumanitatis tuæ præco. » Addit deinde, quod aliqui excæcant suos parvulos, ut stipem acquirant, quasi melius sit lumine carere, quam fame premi ; alii nudi in frigore hiemis incedant. Quæ iterum inculcat homilia XXI. I. Cor. IX. et miratur, quod non fulmen cadat in eos, qui hæc in mendicis carpunt, interim genio

suo et ventri indulgentes. Alii ingeniosos excogitant astus ; compulsi necessitate, ut aliquid acquirant, veluti is qui ad Alphonsum Aragoniæ regem veniens, conqueri cœpit : « Ære alieno opprimor, o rex, jam inde a parentibus in me derivato. Creditoris rapacissimi et insolentissimi exactionibus atteror quotidianis. » Rege id detestante, et vindictam exactori minante : « Venter hic meus est, inquit. Atque tu quoque, o rex ejus tyrannidi obnoxius cum sis, et major tibi sit census expensa, pro magnificentia inopiam meam subleva. » Delectatus hominis ingenio rex non indonatum eum dimisit. Cotozetus de dict. et fact. memorab. Alius quidam in Germania, cum liberos suos alere non posset, memor pietatis ciconiarum, stultitiam simulans, eos in nidum ciconiarum imposuit, tamquam ab ipsis nutriendos. Quo visu simul inopia ejus animadversa, annona a magistratu donatus est. Refert ornithologus apud Aldrov. I. XX. de cicon. Duritia ergo divitum cogit miseros pauperes hujusmodi excogitare astus, imo extrema quæque facere, liberos suos cæcare, vulnera sibi infligere et putulenta conservare, quo vitam tueantur.

Quando igitur tam æquum est, ut pauperes alantur a sua civitate, evangelizate illis vos, o divites, et dicite : *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis : et ego reficiam vos.* Venite, *Comedite et bibite amici et inebriamini charissimi.* Hoc gaudium illorum in vos redundabit : illis dabitur nummum et vos capietis cælum. Quo facto et ego vobis bona nuntia feram ; et qualia, nisi illa : *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum. Esurivi enim et dedistis mihi manducare, etc.*